

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 16 (Si rationis
solius inter hominem...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 16 (Si rationis
solius inter hominem...)*

Si rationis soliis inter hominem et animal brutum differendam denotat interventus, cum alias utriusque esse sit animal et locum habeat mortalitas in utroque nec ad eius perfecte noticiam pervenerit aliquis absque ducatu nobilis sciencie litteralis, que naturaliter habet hoc proprium, ut rationi copulet hominem et homini rationem, cum he ambe, quasi communem habeant essenciam et defectum, se velut due sorores ad invicem amplexantur. Ad huius adquisicionem sciencie, qua ratio redditur acquisita, debemus intentis cordibus aspirare, ne ea ignota disserere desit nobis et brutis animalibus comparemur. Tu autem hiis diebus ad eam precipue deditus capessendam, sic legendo studeas et studendo legas, sic sciendo discas et discendo scias, quod utramque per alteram in tuis visceribus hospiteris fructus inde glorificos multipliciter collecturus. Hec est enim illa sciencia, que sensus trahit et cumulat in subiecto, hec est illa sciencia, que ditat hominem, et suum nobilitat possessorem, hec est illa sciencia, que suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem cum principibus eum locat eundem promovens ad honores dignos et honorabiles dignitates nec subesset exceptio peremptoria seu dilatoria parti tue, que, si non efficeres, que presentibus suaderetur, et te de torpenti saltem segnicie redderet excusatum, qui te referente doctorem habes omni exoeptione maiorem, dum libenter instruit et habet, unde suos instruat auditores, doctorem habes, de cuius thesauris haurire poteris sapientiam salutarem, doctorem habes honestis ornatum moribus et diversis scienciis decoratum. Studeas igitur et iterum dico studeas, ne, si tibi forsitan abesset oportunitum tempus vel opportunitas temporalis, te postino dum in corde

tuo peniteat et penitencia penis innumeris tuum animum
crucifigat.